DE
SOPHOCLIS AIACE.

ANTECEDIT

INTERPRETATIO CHORI PRIMI CANTICI

A VERSU 172—200.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE ROSTOCKIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

ASSEQUENDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS KUNISCH,

KREUZENDORFENSIS

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBERG.

MDCCCLXXIII.

I.

INTERPRETATIO CHORI PRIMI CANTICI,

quae inest in Sophoclis Aiace a versu 172—200.

Interpretationem daturus chori cantici Aiacis a versu 172—200 non alienum esse puto docere, quo modo canticum cohæreat cum versibus antecedentibus, quia nexu exposito naturam chori cantici universam melius intellegemus.

Fama per castra Græcorum ante Troiam facta postquam pervulgata est inter greges communes concubia nocte maximam stragem esse editam Ulixes, qua erat cura omnium Græcorum, sua sponte laborem subiit, ut auctorem cædis indagaret.

In suspicionem vocatus Aiacem facinus perpetrasse ad tentorium fortissimi viri accedit. Quem incedentem atque signa perlustrantem Minerva. quæ eum a tergo erat secuta, allocuta est affirmans se semper bonum præsidium esse. Itaque dea ubi cognovit, cui rei operam Ulixes navaret, Aiacem auctorem esse dixit. Eum in Achæos impetum facere voluisse iamque in eo fuisse, ut prope ad prætorium cædem perficeret, se vero mentem eius turbasse ita, ut in communes Græcorum greges incideret, unde maxima strage edita complures pecudes homines esse ratus in tentorium actas vexaret. Quibus expositis dea Ulixi Aiacis furorem aperte ante oculos ponere vult. Ulixes timore permotus precatur, ut Aiacem in tentorio manere sinat neque evocet. Quem timorem quum dea pepulisset affirmans ab illo nullum periculum imminere, Aiacem, ut egrediatur e tentorio, monet. Qui gratias agens dcæ, quam falso habet sui operis fautricem, et flagellum tenens, quo ferit bestias, gloriatur Atridas esse interfectos, tormentis affici Ulixem. Paulo post recedit in tentorium Aiax, Minerva, postquam Ulixem monuit, ne quid superbi nefariique adversus deos diceret, simul

cum Ulixe de scena discedit. Quorum post digressum chorus in scenam prodit et orchestra occupata parodum dicit v. 134—172, in qua causam, cur adsit, exponit. Audivit et ipse Aiacem facinus quoddam illum quidem commisisse, sed talem rumorem ab Ulixe pervulgari putat. Parodo ad finem perducta chorus suhsistit et canticum incipit, quod est:

§. 2.

VERSIO CANTICI CHORI*).

v. 172—200.

Utrum te tauris vecta filia Jovis Diana, (o nefandam famam, matrem probri mei), incitavit in publicos boum greges, sive ob victoriæ alicuius haud relatam gratiam, sive spoliorum inclytorum fraudata donis, sive parte venaticæ prædæ; an æream Mars indutus loricam id tibi succensens, quod socii in bello laboris præmium haud tulerit, nocturnis machinis ultus est contumeliam. Non enim unquam, Telamonie, eo stultitiæ deflexisti, ut sic in greges irrueres. Ingruerit quidem morbus divinitus, sed arceat Jupiter et Apollo malam Argivorum famam. Sin confictas furtim subdunt fabulas magni reges, aut quidam e nequissimo Sisyphidarum genere, ne, obsecro te, ne, rex, amplius ita in maritimis tentoriis deliteas, malis flagrans rumoribus; surge vero e sedibus, ubi nimis longa hæres defixus hac anxia mora, ad cælum extollens et incendens noxam; interea vero inimicorum petulantia nullo cohibita metu temere grassatur in vallibus ab vento tutis, dum omnes multo cum cachinno convicia in te effundunt acerbissima; ego vero dolore affligor.

§. 3.

Priusquam ad interpretationem transeam, de metro cantici pauca dicam. Modulos doricos in eo esse ex coniunctione versuum dactylicorum cum epitritis elucet. Metrum, quod est plerumque grave, optime quadrat ad sententiam totam, quia chorus tristis anquirit, quisnam deus Aiacem, si facinus commiserit. in furorem egerit. Iis vero locis, ubi chorus affectus pietatis atque spei expromit, metrum fit vividius.

---

*) Versio est similis Brunckianæ, quæ mihi in universum probatur.

I.

v. 172—182; 183—193.

1. – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ ⏒
2. – ⏑⏑ – ⏑⏑ –
3. – ⏑ – – – ⏑ –
4. ⏒ – ⏑ – + | – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏒
5. ⏓ – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ –
6. – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏒ – ⏑ – – – ⏑⏑ – ⏑⏑ –
7. ⏒ – ⏑ – – – ⏑⏑ – ⏑⏑ –
8. ⏒ – ⏑ – – – ⏑⏑ – ⏑⏑ –
9. – ⏑ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑

I.

1. tetram. dact. acat.
2. trimet. dact. cat. in syl.
3. epitriti.
4. epitritus cum anacrusi sequente trim. dact. cat. in dissyl.
5. epitriti.
6. trim. dact. cat. in syl. epitritus.
7. epitritus c. anacrusi trim. dact. cat. in syll.
8. idem atque antecedens versus.
9. mon. troch. (basis duplex) dim. dact. cat. in dissyl. sive versus adonius.

II.

v. 193—200.

1. – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⋈̲ =
2. – – – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
3. – – – ⏑⏑ – ⏑ –

metro incerto:

4. – – ⏑⏑ – ⏑ – ⋈̲ =
5. – –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⋈̲ =
6. – – – – – –
7. – – ⏑ ⏑ – ⋈̲ =
8. – – ⏑ ⏑ – ⋈̲ =

II.

1. vers. logacœd. cum ecbasi
2. basis dact. et tetrap. troch. cat.
3. vers. glyconēus.

metro incerto	4.	v. logaœd. c. anacrusi et c. ecbasi.
	5.	dim. cret. c. anacrusi et c. ecbasi.
	6.	spondei.
	7.	choriiamb. c. anacrusi et c. ecbasi.
	8.	choriiamb. c. anacrusi et c. ecbasi.

§. 4.

Metro explicato iam ut singula interpreter, restat. Vers. 172 sq.: *Ἦ ῥά* voci respondet *ἦ χαλκοθώραξ* in v. 179. Simili modo apud Pindarum Isthm. 7, 3: *ἦ ῥὰ ἁνίκ' ἄντειλας Διόνυσον, ἦ δεξάμενα τὸν φέρτατον θεῶν* legimus.

Ταυροπόλα Ἄρτεμις. Chorus de duobus Aiaci amicis diis cogitat, de Diana primum, quæ, ut exemplo utar, de Oeneo, quod deæ non sacrificasset, pœnam sumpserit, cf. Il. 9, 533 sq.:

καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσεν
χωσαμένη ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξ' . . .

tum de Enyalio. Quod ad vocem *Ταυροπόλος* attinet, iam a scholiastis multæ et variæ coniecturæ sunt factæ. Sunt, qui putent *Ταυροπόλαν Ἄρτεμιν* dici, quod Aiax *ταύρους* ceciderit, (ita) ut *Ταυροπόλα* sit, boves agens *die Stiertummelnde,* ut germanica lingua utar. Alii de terra Taurica dictum esse censent, ad quam sententiam ego quoque accedo, quia sæpissime dii ex iis terris, ubi imprimis colebantur, cognomen acceperunt.

Ταυροπόλος quamquam in eandem formam et in masculini et in feminini genere exit, tamen hic feminini formam in *α* habet. Hoc ne te mirum habeat, multa inveniuntur adiectiva, quæ simili ratione varientur, quorum exempla afferre supersedeo.

μεγάλα φάτις id est *δεινή* cf. vers. 226, ubi legitur:

„*τὰν ὁ μέγας μῦθος ἀέξει.*“

Hanc significationem vox *μέγας* etiam habet apud alios poëtas cf. Aesch. Cœph. 479; Pers. 722; Od. III. 261.

μᾶτερ αἰσχύνας ἐμᾶς. *Μάτηρ* ibi fere idem, quod causa significat: *Ursache meiner Schmach.*

πανδάμους ἐπὶ βοῦς. *Πάνδαμος* idem est ac populi universi proprium, cf. v. 53:

. . . σύμμικτά τε
λείας ἄδαστα βουκόλων φρουρήματα.

βοῦς ἀγελαίας cf. Od. 17. 184: *ἵερευν δὲ σύας σιάλους καὶ βοῦν ἀγελαίην.*

V. 176. Chorus duas affert causas, cur Diana Aiaci furorem obiecerit, quarum prima est hæc, quod Aiax Dianæ ob victoriam gratias non egerit, altera quod vir fortissimus deam venaticæ prædæ participem non reddiderit.

ἀκάρπωτον χάριν. Sic codices. Schneidewinius reponit *ἀκάρπωτος χάριν* non alia causa, nisi quod enallage *ἀκάρπωτον χάριν* pro *ἀκαρπώτου νίκας χάριν* reiicienda sit. Hanc causam, quia nulla mihi videtur, accipere non possum. Equidem puto legendum esse *ἀκαρπώτου* genitivum, qui coniungendus sit cum *νίκας*

νίκας ἀκαρπώτου χάριν
victoriæ inutilis causa

id est victorîa, ex qua Diana fructum sacrificii non cepit. Hæc scriptura a Schneidewinio reiicitur, quod non sit apta. Quæ mihi videtur esse falsa opinio.

V. 177. Hic est difficile statuere, quænam sit scriptura vera. Legimus enim:

ψευσθεῖσα δώροις εἴτ᾽ ἐλαφαβολίαις.
ψευσθεῖσα δώροις εἴτ᾽ ἐλαφαβολίας.
ψευσθεῖσ᾽ ἀδώροις εἴτ᾽ ἐλαφαβολίαις.

Hæc Musgravi coniectura nunc ab omnibus fere accipitur et mihi quoque probatur.

Forma *ἐλαφαβολία* pro *ἐλαφηβολία* est dorica cf. Trach. 214. Euripides item *στεφαναφορία* pro *στεφανηφορία* scribit. De *ἤ* et *εἴτε* cf. Eur. Al. v. 114.

V. 178. Hic varie legitur. Alii
ἤ χαλκοθώραξ οἵ τιν᾽, alii
ἤ χαλκοθώραξ εἵ τιν᾽, alii
ἤ χαλκοθώραξ σοί τιν᾽, alii
ἤ χαλκοθώραξ ἦν τιν᾽, legunt.

ἤ χαλκοθώραξ ἦν τιν᾽ mea sententia quidem est scriptura optima.

χαλκοθώραξ Ἐνυάλιος est Mars. Inepte scholiasta duos diversos deos his vocibus significari putat. Enyalius quidem a Marte distingui potest, sed tum Mars proprio nomine, non

epitheto communi designatur: ut apud Aristophanem in Pace v. 457:

„Ἄρει δὲ μή, μηδ' Ἐνυαλίῳ γε;“

Preller in mythologia 1, 204, ubi naturam Martis descripsit, hoc dicit: *Das also ist das Bild des Kriegsgottes Ares, als welcher er in der Ilias auch* Enyalios *genannt wird* cf. Il. 13, 519; 20, 69; 22, 131! *dahingegen später und namentlich im attischen Sprachgebrauch zwischen* Ares *und* Enyalios *unterschieden wurde.*

Vox Ἐνυάλιος ducta est ab Ἐνυώ, quæ aut eius mater aut eius soror fuisse dicitur cf. Cornutus 21: περὶ δὲ τῆς Ἐνυοῦς οἱ μὲν μητρὸς οἱ δ' ὡς θυγατρὸς οἱ δ' ὡς τροφοῦ Ἄρεος διαφέρονται.

V. 180. ξυνός præter hunc locum bis apud Aeschylum reperitur cf. Sept. v. 379 et Supp. 370.

μομφὰν ἔχειν id est conqueri aliquid *sich über etwas zu beklagen haben* coniungitur cum genitivo cf. Math. Gr. 349.

Ἀντιστρ.

v. 183 sq. φρενόθεν nusquam nisi hoc loco invenitur. Significat vero propriæ mentis impetu.

τόσσον et cum ἐπ' ἀριστερά et cum sequentibus verbis ἐν ποίμναις πίτνων coniungi potest. Sed ad hoc „ἐν ποίμναις πίτνων referendum esse verisimilius est.

τόσσον cum duplici litera σ sæpe apud tragicos legimus atque ex carminibus epicis sumptum est cf. Krüger 59, 1. Post vocem τόσσον exspectamns ὥστε πεσεῖν. Huius structuræ loco participium est positum. cf. Antig. 752.

θεία νόσος, sc. ἐκ θεοῦ κατασκήψασα ut recte scholiasta annotat.

V. 187. Chorus invocat Iovem et Apollinem, ut famam malam prohibeant, Iovem, quia secundum Hom. hymn. Merc. Διὸς πάρα θέσφατα πάντα, Apollinem, quia Iovis est propheta cf. hymn. Ap. 132.

κακάν adiectivum hunc locum inter Iovem et Apollinem occupat, quo urgeantur dii.

V. 188. ὑποβαλλόμενοι κλέπτουσι id est ὑποβλήτως λέγοντες ὑποσπείρουσι secundum scholiastas. cf. Electra 37:

„δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς.“

βασιλῆς attice dictum est pro *βασιλεῖς*, Atridas significari apparet.

Σισυφιδᾶν γενεᾶς subaudiendum est ἔκγονος. cf. Hom. Il. 19, 104; Thucyd. VI, 4; Krüger Gram. §. 47, 9 ad not. I. *Σισυφιδᾶν* est scriptum pro *Σισυφιδῶν*. Totum enunciatum contemptione plenum est, ut etiam alio loco Ulixes:

„ . . . οὑμπολητὸς Σισυφοῦ Λαερτίου"

vocatur (cf. Philoct. 417).

Scriptores cyclici sæpe viros Homeri fortissimos, qui prudentia ac virtute florebant in novas quasi personas easque contrarias mutarunt. Fabula, cuius hoc loco mentio fit, hæc est: Anticleia, mater Ulixis antequam Laërti nuberet cum Sisypho concubuisse dicitur. Hoc matris facinus atque Sisyphi malitia (*κέρδιστος ἀνδρῶν*) tragicis poëtis materiem præbuit, qua Ulixes ab adversariis suis increparetur. cf. Philoct. locum qui iam supra dictus est atque eiusdem fabulæ vers. 448, 625, 1311.

V. 191. *μὴ μή μ', ἄναξ.* Quæritur, num *μ'* hoc loco sit dativus pro *μοί* an accusativus pro *με*. Secundum Hermanni sententiam quum *μ'* pro *μοί* poni non possit, vir ille doctissimus *μ'* pro *με* dictam esse contendit. At formulas *μή μοι* vel *μή μοί σύγε* Græcis tam usitatas fuisse puto, ut litera *οι* brevis esset et bene elidi posset, in sermone saltem vulgari semper. Eodem modo *αι* in passivis atque *αι* in infinitivo elidi constat.

Ὄμμ' ἔχων vel *τίθεσθαί τινι* id est contemplari aliquid fixo vultu. Epilogus.

V. 194 sq. *ἄνα* positum est pro *ἀνάστηθι* id est surge. Hiatus ille, qui est in *ἄνα ἐξ*, excusatur propter metrum dactylicum et propter exclamationem. cf. Il. 9, 247:

„ἀλλ' ἄνα, εἰ μέμονάς γε, καὶ ὀψέ περ, υἷας Ἀχαιῶν
τειρομένους ἐρύεσθαι ὑπὸ Τρώων ὀρυμαγδοῦ."

στηρίζει — σχολᾷ. *στηρίζειν* habet sensum transitivum id est stabilire et intransitivum id est niti, *adhærere*. Hoc loco hunc sensum usurpat, affixus es otio. *σχολά* (otium) substantivum coniunctum est cum adiectivo „*ἀγώνιος*", quod significat ad certamen pertinens. Chorus igitur dicit: otiosus es, quod ad certamen attinet. His igitur verbis „*ἀγωνίῳ σχολᾷ*"

oxymoron inesse ita, ut sit idem ac negotiosum otium *(arbeitsvolle Ruh', Schiller)*, quod Schneidewinus vult, non video.

ἄταν οὐρανίαν φλέγων. Hæc verba a Schneidewino versa sunt: *Das Unheil zum himmelhohen Brande entflammend.* Quid his verbis dicere velit, nescio neque quid hoc pertineat ad hunc locum. Equidem verto: *Die Rache des Himmels entflammend.* Nam chorus dicere velle mihi videtur: otio tuo iram deorum concitas et adversariorum superbia augetur. Quod si accipitur, *ἄταν οὐρανίαν* oppositum est *ἐχθρῶν δ' ὕβρις.*

ἀτάρβητος. Codices exhibent *ἀτάρβητα.* Hermannus reponit scripturam, quam nunc vulgo legimus, *ἀτάρβητος.* Sed multa sunt exempla, quibus apparet pluralem casum adiectivi pro adverbio poni posse. cf. v. 199 *βαρυάλγητα;* Oed. tyr. v. 883 *ὑπέροπτα;* Krüger II, 146, 6. Itaque mutatione non opus est.

εὐάνεμος id est vento perflatus. cf. Eur. Andr. 749.

καγχάζω id est cachinnor apud tragicos præter hunc locum non invenitur. Dindorfius igitur scribit: *καχάζω* afferens Aristophanis locum, qui est in Nub. v. 1073; forma vero *καγχάξω* est parum attica. cf. Xen. sy. I, 16.

ἕστακεν opoositum est *ὁρμᾶτ'* v. 198. Verbum *ἵστημι* sæpius pro simplici *εἶναι* adhibetur. cf. v. 1084:

„*ἀλλ' ἑστάτω μοι καὶ δέος τι καίριον.*"

Neque minus in pedestri oratione posterioris temporis verbum *ἵστημι* hanc interdum habet significationem.

II.

DE SOPHOCLIS AIACE.

Aristophanes grammaticus in hypothesi Antigonæ affirmat, Athenienses Antigona acta Sophoclem una cum Pericle contra Samum insulam imperatorem fecisse. Si id verum est, non est dubitandum, quin illa fabula, quæ Aiacis nomine inscripta est, præcipuam poëtæ conciliaverit civium gratiam ac benevolentiam. Ut enim taceam hoc loco de aliis, quibus ornata est, fabulæ virtutibus, illud certe pergratum fecit poëta Atheniensibus, quod Aiacem fortissimum heroëm ipsis vindicabat. cf. v. 596. Nam quum Menestheus*), qui ipsorum bello Troiano dux erat, illa una tantum arte insignis in Iliade obiter modo commemoraretur:

„τῷ δ'οὔπω τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνήρ
κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας"

Aiacem, cuius Homerus summa cum laude in omni Græcorum discrimine, in omnibus prœliis, in omnibus principum consiliis mentionem facit, libentissime Athenienses suum appellabant popularem.

Interposito quidem illo versu Solon**)

„στῆσε δ'ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες"

Aiacem commilitonem Atheniensium reddere conatus est, quum communi eum cum Ath. statione ante Troiam usum esse doceret, id vero haud inficiandum esse videtur Salaminios iam antiquissimis temporibus cum Atheniensibus coniunctos fuisse. Nobilissimæ enim Epatridarum, qui vocantur, gentes Pisistratidæ, Miltiades et Cimon, Alcibiades, alii ad Eurysacem et Philæum,

*) Il. II, 554 sq. et IV, 327.
**) Il. II, 558.

qui Aiacis erant filii et teste Plutarcho Salaminem Atheniensibus tradiderunt, suam originem deferebant. Itaque haud scio an quidquam gratius fecerit poëta civibus, quam quod v. 202, 1216, 861, 599 sq.*) Aiacis commilitones „Ἐρεχθείδας“ (Athenienses) appellat, qui v. 1216 sq. optant:

„γενοίμαν ἵν' [ὑλᾶεν] ἔπεστι πόν-
του πρόβλημ' ἁλίκλυστον, ἄ-
κραν ὑπὸ πλάκα Σουνίου,
τὰς ἱερὰς ὅπως
προσείποιμεν Ἀθάνας.“

v. 596 sq.:

„ὦ κλεινὰ Σαλαμίς, σὺ μέν
που ναίεις ἁλίπλακτος εὐδαί-
μων πᾶσιν περίφαντος ἀεί.“

Si igitur hac re cives suos benevolos sibi reddiderit Sophocles, haud minus nostram gratiam aucupatus est fabula sua, quam, quum iam Aeschylus trilogia, quæ vocatur, ὅπλων κρίσις, Θυῆσσαι, Σαλαμίνιαι, tractavisset, suo more novo quodam splendore ornavit. Virtutes autem fabulæ, quum tot virorum doctorum libris non sine magna doctrina et insigni ingenii acumine diiudicatæ sint, si equidem denuo in iudicium vocare velim, mirum ac supervacaneum videri possit. Sed quum in omni re, quam perspicere velis, nisi ad originem et quasi fontem descenderis, manca futura sit et parum accurata cognitio, in veterum quoque scriptis monumentis aliorum iudicia nobis non sufficient, nisi ea cum eo ipso, quod diiudicandum sit, contulerimus. Ne quis vero quum ita loquamur, nos falso interpretetur, haud nobis in animo est, hoc loco omnes, quæ ab aliis de Sophoclis Aiace latæ sunt, sententias perstringere atque examinare, sed ea tantum, quæ nobis ipsis probari posse visa sunt; primum quidem indolem personarum depingemus, deinde argumentum fabulæ paucis exponemus, postremo de fine, quem in hac fabula sibi proposuerit poëta, dicemus.

---

*) Ubi primum numeris sum usus, Schneidewinium secutus sum et Dindorfium.

INDOLES PERSONARUM.

Aiax Telamonius secundum Achillem vir fortissimus ac robustissimus ex omnibus Græcorum ducibus iam ab Homero celebratus est, qui haud immerito eum Odys. 11, 553 sq. „*τὸν πύργον Ἀχαιῶν*“ appellat; illo enim loco dicit:

„Αἶαν, παῖ Τελαμῶνος ἀμύμονος, οὐκ ἄρ' ἔμελλες
οὐδὲ θανὼν λήσεσθαι ἐμοὶ χόλου εἵνεκα τευχέων
οὐλομένων; τὰ δὲ πῆμα θεοὶ θέσαν Ἀργείοισιν·
τοῖος γάρ σφιν πύργος ἀπώλεο·“

In Iliade autem, ut multos alios omittam, hos præcipue inveni locos, quibus summa cum laude ab Homero Aiacis fit mentio:

Il. II, 768:

„ἀνδρῶν αὖ μέγ' ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας,
ὄφρ' Ἀχιλεὺς μήνιεν.“

Il. III, 226 et 227:

„τίς τ' ἄρ' ὅδ' ἄλλος Ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε,
ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν τε καὶ εὐρέας ὤμους;“

Il. VII, 206 sq.:

„Ὣς ἄρ' ἔφαν, Αἴας δὲ κορύσσετο νώροπι χαλκῷ.
αὐτὰρ ἐπειδὴ πάντα περὶ χροῒ ἕσσατο τεύχη,
σεύατ' ἔπειθ' οἷός τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης,
ὅστ' εἶσιν πόλεμόνδε μετ' ἀνέρας, οὕστε Κρονίων
θυμοβόρου ἔριδος μένεϊ ξυνέηκε μάχεσθαι.
τοῖος ἄρ' Αἴας ὦρτο πελώριος, ἕρκος Ἀχαιῶν,
μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι· νέρθε δὲ ποσσὶν
ἤϊε μακρὰ βιβάς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Aiax cum Marte comparatur*).

---

*) Cum dictis compares: Il. XVII, 281 sq.:

„ἴθυσεν δὲ διὰ προμάχων συῒ εἴκελος ἀλκὴν
καπρίῳ, ὅστ' ἐν ὄρεσσι κύνας θαλεροῦς τ' αἰζηους.
ῥηϊδίως ἐκέδασσεν, ἑλιξάμενος διὰ βήσσας
ὣς υἱὸς Τελαμῶνος ἀγαυοῦ, φαίδιμος Αἴας,“

Il. XIII, 321 sq.:

„ἀνδρὶ δὲ κ' οὐκ εἴξειε μέγας Τελαμώνιος Αἴας,
ὅς θνητός τ' εἴη καὶ ἔδοι Δημήτερος ἀκτὴν,
χαλκῷ τε ῥηκτὸς μεγάλοισί τε χαρμαδίοισιν.“

Totum denique Græcorum exercitum unus fere Aiax ab interitu servavit in prœlio ad naves facto, quod Il. XIV. et XV. narratur.

Hanc fortitudinem atque heroïs robur maioribus etiam laudibus prosecutus est Sophocles. Prædicat enim Aiacis virtutem Chorus v. 166 sq:

„ἀλλ᾽ ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ᾽ ἀπέδραν,
παταγοῦσιν ἅπερ πτηνῶν ἀγέλαι
μέγαν αἰγυπιόν,
τάχ᾽ ἄν ἐξαίφνης, εἰ σὺ φανείης,
σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι."

et v. 616 sq.:

„τὰ πρὶν δ᾽ ἔργα χεροῖν
μεγίστας ἀρετᾶς
ἄφιλα παρ᾽ ἀφίλοις
ἔπεσ᾽, ἔπεσε μελέοις Ἀτρείδαις."

Teucer autem v. 1273—1287, ut opprobria, quibus Atridæ Aiacem cumulare conantur, refellat pleniore quodammodo ore Aiacis certamen singulare cum Hectore pugnatum naviumque defensionem insigni effert laude. Etiam Ulixes et Minerva, quamvis inimici sint Aiaci, miris eum ornant laudibus:

Alixes enim v. 1338 sq. dicit:

„ἀλλ᾽ αὐτὸν ἔμπας ὄντ᾽ ἐγὼ τοιόνδ᾽ ἐμοὶ
οὐ κἂν ἀτιμάσαιμ᾽ ἄν, ὥστε μὴ λέγειν
ἕν ἄνδρ᾽ ἰδεῖν ἄριστον Ἀργείων, ὅσοι
Τροίαν ἀφικόμεσθα, πλὴν Ἀχιλλέως."

Minerva autem v. 119, 120 ad Ulixem hæc:

„τούτου τίς ἄν σοι τἀνδρὸς ἢ προνούστερος
ἢ δρᾶν ἀμείνων εὑρέθη τὰ καίρια;"

Ne Aiax quidem se continere potest, quin nobili illo sensu, qui heroi proprius est, ipse suam prædicet virtutem:

v. 364 sq., v. 436 et 437, v. 441 sq. imprimisque v. 422 sq.:

„οὐκέτ᾽ ἄνδρα μὴ
τόνδ᾽ ἴδητ᾽ ἔπος
ἐξερῶ μέγ᾽, οἷον οὔτινα

Il. VII, 288 et 289:

„Αἶαν, ἐπεί τοι δῶκε θεὸς μέγεθός τε βίην τε
καὶ πινυτὴν, περὶ δ᾽ ἔγχει Ἀχαιῶν φέρτατός ἐσσι,"

Τροία στρατοῦ δέρχθη χθονὸς μολόντ' ἄπο
Ἑλλανίδος·"

Quum vero Homerus Aiacem depingat sola virtute bellica corporisque robore inter omnes Græcorum duces eminentem, manu fortem, strenuum, impigrum, qui gravissimis periculis libenter occurrat, Sophocles illi haud pauca tribuere videtur ab Homeri Aiace prorsus aliena. Non enim corporis tantum bonis, sed etiam animi quibusdam virtutibus ornatus est Aiax Sophocleus, quum et inculti illi ac rudes Homerici Aiacis mores in Sophoclis fabula evanescant, et præter fortitudinem Aiax insignis sit excelso animo, singulari parentum et Eurysacis filii amore, sana denique mente in summo vitæ discrimine.

Singulari enim animi commotione capiamur necesse est legentes illum locum, ubi amore filii absentis ardens, eum videre cupit et meliorem ei, quam patris, optat sortem: vers. 550 sq.:

„ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος· καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός.
καίτοι σε καὶ νῦν τοῦτό γε ζηλοῦν ἔχω,
ὁθούνεκ' οὐδὲν τῶνδ' ἐπαισθάνει κακῶν.
ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος,
ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι, μάθῃς.
ὅταν δ' ἵκῃ τρὸς τοῦτο, δεῖ σ' ὅπως πατρὸς
δείξεις ἐν ἐχθροῖς, οἷος ἐξ οἵου 'τράφῃς*).

Fecit autem Sophocles præstantiorem, quo magis casu egregii herois tristissimo spectatorum moveret misericordiam.

Sed virtutes Aiacis excipiunt vitia, et id memoratu dignum hoc loco videtur, Sophoclem sicut bonis, ita etiam vitiis induisse Aiacem, quibus apud Homerum, quantum scio, vacat. Aiax enim Sophocleus se præbet intemperantem atque iracundum, implacabilem adeoque vehementem, ut in Tecmessam, uxorem supplicantem, ne perficiat, quod consilium ceperit,

---

*) Cum his Aiacis verbis haud inepte comparaveris Hom. Il. VI, 466 sq. et 476 sq.:

„Ζεῦ ἄλλοι τε θεοὶ, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,
ὧδε βίην τ' ἀγαθὸν καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν.
καί ποτέ τις εἴπῃσι 'πατρός γ' ὅδε πολλὸν ἀμείνων,
ἐκ πολεμου ἀνιόντα·"

gravissime invehatur. Suo autem robore fretus quum ceteros tum ipsos deos contemnit, quare inter omnia eius vitia superbiam Minerva nominat maximum, quæ etiam interitus eius causa sit. Nam Sophocles Minervam hæc dicentem inducit:

v. 127 sq.:

„τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ' ὄγκον ἄρῃ μηδέν', εἴ τινος πλέον
ἢ χειρὶ βρίθεις ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κανάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια· τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς."

Culpa igitur Aiacis, qua suam sibi calamitatem contraxit, in promptu est multisque fabulæ locis fit mentio. Deos læserat, imprimis Minervam, cuius auxilium in acri pugna amice oblatum respuerat, spiritus gerens humanis viribus maiores:

v. 777:

„οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονῶν."

Adde, quod patri, qui in bellum proficiscentem filium hortaretur, ut deorum semper memor esset et cum eorum auxilio pugnaret, vires suas iactans se sibi gloriam paraturum esse etiam sine diis respondit: v. 764 sq.:

„ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐννέπει· τέκνον δόρει
βούλου κρατεῖν μέν, σὺν θεῷ δ' ἀεὶ κρατεῖν.
ὃ δ' ὑψικόμπως κἀφρόνως ἠμείψατο·
πάτερ, θεοῖς μὲν κἂν ὁ μηδὲν ὢν ὁμοῦ
κράτος κατακτήσαιτ'· ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος."

Iræ quidem eius inexpiabili haud iniustam poëta subdit causam. Suo igitur iure Atridis, quorum dole ac fraude:

v. 1135:

„κλέπτης γὰρ αὐτοῦ ψηφοποιὸς εὑρέθης."

arma sibi erepta essent, irasci potuit*). Ideo enim tam mul-

---

*) Sophocles quidem, fortasse de industria, nimis parcus est in describenda hac Atridarum fraude, ut vix certam sententiam expromere possimus, num re vera, cuius Teucer et Aiax eos insimulant, commiserint crimen. Sed iniusta certe, quam tulit Aiax, repulsa esse debuit, ut causa esset eius iræ; nam, cuius ira causa vacat, is non miserandum, sed irridendum se præbet spectatoribus.

tus est Sophocles in Aiacis laude, ut suo iure, qui fortissimus Græcorum uno fere ore ab omnibus prædicetur, arma sibi vindicare possit.

Primum vero eo peccavit Aiax, quod iræ suæ adeo indulsit, ut ob repulsam, quam eorum fraude tulit, morte Atridas punire conaretur. Apud Homerum enim, ut exemplo utar, Achilli quoque per Agamemnonem donum, quod ipsi erat carissimum, eripitur; et erat certe Achilles implacabilis, qui, ex quo Agamemnoni irasceretur, ne maximis quidem promissis ut Græcis in angustiis versantibus auxilium ferret, exorari se passus est; sed ira atque furore non eo abreptus est, ut morte ob iniuriam inimicum multare vellet. Omnino autem modum egressus est Aiax, quod, quum Atridæ soli eum offendissent, vindictam sumere constituit de toto Græcorum exercitu. Tum intercessio deorum non solum erat iusta, sed etiam necessaria. Cæde autem gregum peracta Aiax quum sana mente conditionem suam reputasset, animo, qui haud indignus esse videtur viro fortissimo, hoc consilium cepit, ut mortem sibi conscisceret, ut ipse v. 479, 480 dicit:

„ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι
τὸν εὐγενῆ χρή."

Atque causas quidem mortis suæ voluntariæ prorsus planis disertisque verbis Aiax ipse indicat. Hæc enim dicentem inducit eum poëta:

v. 457:

„καὶ νῦν τί χρὴ δρᾶν; ὅστις ἐμφανῶς θεοῖς
ἐχθαίρομαι, μισεῖ δε μ' Ἑλλήνων στρατός,
ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα καὶ πεδία τάδε."

v. 399:

„ οὔτε γὰρ θεῶν γένος οὔθ' ἁμερίων
ἔτ' ἄξιος βλέπειν τιν' εἰς Ὄνασιν ἀνθρώπων."

v. 408:

„πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι."

Timebat certe ne totum quidem Græcorum exercitum, etiamsi tela in ipsum contorquens universus in unum irrueret, sed ea tantum cogitatione, in summam se omnium contemptio-

nem esse adductum, quia summo se ipse dedecore cumulasset, vehementissime motus est.

Ignominia igitur atque pudor, dolor, quod turpi facto omnem amisisset gloriam, et quod iram suam non explevisset, maximam vim in eius animo habebant. Initio quidem rem suam deliberans dubitat, utrum in patriam redeat, an prœlio mortem quærat, sed his reiectis:

v. 470 sq.:

„ πεῖρά τις ζητητέα
τοιάδ' ἀφ' ἧς γέροντι δηλώσω πατρὶ
μή τοι φύσιν γ' ἄσπλαγχνος ἐκ κείνου γεγώς"

vita sese privare constituit, quum dedecori sibi vita futura sit.

Optime autem poëta, ut misericordiam spectaturum moveret, rem ita instituit, ut, quum omnia secum sano animo Aiax versasset atque deliberasset, moribus suis omnino consentaneus mortem sibi conscisceret. Nam si furore quodam actus Aiax manum sibi intulisset, certe non tantopere esset miserandus.

ULIXES.

Ulixes, qui ab Homero in Iliade describitur, prudens est et „πολύμητις", omnium Græcorum callidissimus. Nunquam consilii inops a nullo superatur dolum parando, fallicias fingendo. Calliditati autem coniuncta est etiam egregia fortitudo, quam probavit plurimis certaminibus. Duabus his virtutibus etiam Aiacis robur pæne prostravit, nisi Achilles ita certamen eorum finivisset, ut „νίκην ἀμφοτέροισιν" tribueret. Il. XXIII, 707—737. Summis certe laudibus ab Homero Ulixes ornatus est in Odyssea; nam cum prudentia ac fortitudine eius sunt coniuncta singularis in rebus arduis perseverantia et animus, qui humanas vires pæne superat. Apud posteriores autem poëtas, qui, quum calliditatem mirifice augerent, de fortitudine eius nimis detraherent, fraudulentus tantum fallaciarum machinator depingitur. Uterque igitur Ulixes, qualem et apud Homerum et apud posteriores poëtas invenimus, bene depictus et in fabulæ usum conversus est a Sophocle.

Aiax enim armorum competitorem suum v. 103: „ἐπίτριπτον κίναδος“ et v. 389: „τὸν αἱμυλώτατον, ἔχθρον ἄλημα“ appellat imprimisque v. 379 sq. odium suum acerbissime in eum emittit:

„ἰὼ πάντα δρῶν, ἁπάντων ἀεὶ
κακῶν ὄργανον, τέκνον Λαρτίου,
κακοπινέστατόν τ' ἄλημα στρατοῦ,
ἦ που πολὺν γέλωθ' ὑφ' ἡδονῆς γελᾷς“

Chorus, a quo v. 190:

„ὦ τᾶς ἀσώτου Σισυφιδᾶν γενεᾶς,“

nominatur, talem eum exhibet, qui, ut Græcos contra Aiacem irritet, falsos rumores divulget; nam v. 148 sq. dicitur:

„τοιούσδε λόγους ψιθύρους πλάσσων
εἰς ὦτα φέρει πάνθων Ὀδυσσεύς,
καὶ σφόδρα πείθει·“

At spectatores eundem omni ex parte nobilem atque laudabilem cognoscunt, quoniam, quum mores eius malos narrando tantum indicet poëta, agendo mores boni atque egregiæ partes eo splendidius apparent, quo magis inimici eum contumeliis obruere conantur. Temperatum et misericordem eius animum, quem præbet etiam in inimicos, iam initio fabulæ intellegunt spectatores, quum adspectu insanientis Aiacis, fortissimi viri, et adversa fortuna humanæ imbecillitatis motus in hæc verba erumpat v. 121 sq.:

„ἐγὼ μὲν οὐδέν' οἶδ· ἐποικτείρω δέ νιν
δύστηνον ἔμπας, καίπερ ὄντα δυσμενῆ,
ὁ θούνεκ' ἄτῃ συγκατέζευκται κακῇ,
οὐδὲν τὸ τούτου μᾶλλον ἢ τοὐμὸν σκοπῶν.
ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.“

Itaque benevolentia quadam erga illum commoveantur necesse est, quem immeritis opprobiis ab illis cumulari vident, de quibus ipse, quamvis sint inimici, tam benigne loquitur. Postquam vero prænobilem eius animum cognoverunt, id certe persuasum habent spectatores, arma Achillis, quamquam iniuria Aiaci sint erepta tamen viro esse tributa, qui haud indignus sit tali præmio. Quia enim virtus apud ipsum plus quam odium valeat,

v. 1357:

„νικᾷ γὰρ ἀρετή με τῆς ἔχθρας πολύ.“

Agamemnonem, sicut in Antigonæ fabulæ Teiresias Creontem, amice quidem sed serio ac graviter præmonet, ne, quum odio permotus fortissimi viri prohibeat sepulturam, divina humanaque iura violet ac lædat.

TEUCER.

Teucer, Aiacis frater ex serva natus, multis locis ab Homero celebratus est egregius sagittarius. Quod quidem apud Sophoclem a Menelao contemtim apellatur „ὁ τοξότης“, id eo est referendum, quod, quum Homeri ætate sagittarii, qui erant Apollo, Artemis, Heracles, Philoctetes summo essent in honore, ætate Sophoclis, qua Cretenses tantum sagittarii, qui mercede militabant, notissimi erant, nullus fere honos erat huic armaturæ. Præcipue autem Teucer excursiones in hostium terras prædandi causa facit. Talem designat Aiax:

v. 342, 343:

„Τεῦκρον καλῶ· ποῦ Τεῦκρος; ἦ τὸν εἰς ἀεὶ
λεηλατήσει χρόνον;“

et v. 562 sq.:

„τοῖον πυλωρὸν φύλακα Τεῦκρον ἀμφὶ σοὶ
λείψω, τροφῆς ἄοκνον ἔμπα, κεἰ τὰ νῦν
τηλωπὸς οἰχνεῖ, δυσμενῶν θήραν ἔχων.“

Ardet magno fratris amore, cuius infelici sorte magnopere dolet et valde luget; hæc verba dicentem poëta inducit:

v. 992 sq.:

„ὦ τῶν ἁπάντων δὴ θεαμάτων ἐμοὶ
ἄλγιστον ὧν προσεῖδον ὀφθαλμοῖς ἐγώ,
ὁδῶν θ' ἁπασῶν ὁδὸς ἀνιάσασα δὴ
μάλιστα τοὐμὸν σπλάγχνον, ἣν δὴ νῦν ἔβην,
ὦ φίλτατ' Αἴας, τὸν σὸν ὡς ἐπῃσθόμην
μόρον διώκων κἀξιχνοσκοπούμενος.“

Acriter et fratrem et se ipsum verbis defendit, quum Atridæ ipsos contumeliis onerare conentur. Singulari animi constantia atque stabilitate Atridis fratris sepulturam prohibentibus resistit. Quum enim Menelaus ei minatus sit:

v. 1089, 1090:

„καὶ σοι προφωνῶ τόνδε μὴ θάπτειν, ὅπως
μὴ τόνδε θάπτων αὐτὸς ταφὰς πέσῃς.“

tamen sicut Antigona pro fratre Polynice, Teucer pro Aiace libenter mortem se esse obiturum affirmat:

v. 1308 sq.:

„εὖ νυν τόδ' ἴσθι, τοῦτον εἰ βαλεῖτέ που,
βαλεῖτε χἡμᾶς τρεῖς ὁμοῦ συγκειμένους.
ἐπεὶ καλόν μοι τοὔδ' ὑπευπονουμένῳ
θανεῖν προδήλως μᾶλλον, ἢ τῆς σῆς ὑπὲρ
γυναικὸς ἢ τοῦ σοῦ θ' ὁμαίμονος λέγω.“

Quod vero Teucer, quum a Calchante de Aiacis conditione edoctus esset, non ipse, ut fratrem servaret, extemplo adcurrit, Aiaci timebat, ne Græci ob gregis cædem exacerbati eum interficerent.

Quum igitur omnino ignoraret, fratrem id moliri, ut vim sibi inferret, ipse, ut iram sedaret, in Græcorum contione remansit, nuntium vero misit, qui Tecmessæ choroque mandaret, ut hoc die Aiacem in tentorio retinerent. Poëta autem ita de industria rem bene instituit, quoniam nuntius, qua est loquacitate, optime omne Calchantis vaticinium enarrare potuit, quod magni est momenti, quum Calchantis demum verbis vera indicetur causa, cur dii imprimisque Minerva Aiaci irascantur.

TECMESSA.

Neque Tecmessa nec Teleutas, Phrygiæ rex, apud Homerum nominatur, quum in Iliade sola fere ab Achille eversa oppida commemorentur, Tecmessæ vero patria ab Aiace capta sit; nam ita Tecmessa:

v. 515 sq.:

„ σὺ γάρ μοι πατρίδ' ᾔστωσας δόρει,
καὶ μητέρ' ὠ μὴ μοῖρα τὸν φυσάντά τε
καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας.“

In effingenda igitur Tecmessæ indole et natura Briseidis atque Andromachæ persona in Sophoclis animo versata esse videtur. Tota fere Tecmessæ oratio v. 485—524 magnopere haud dubie convenit Andromachæ verbis, quibus Il. VI, 407—

440 Hectorem allocuta est. Præterea conferri potest Il. XIX, 287 sq.; XXII, 476 sq.; XXIV, 760 sq. Indolis igitur Tecmessæ præcipuum lineamentum est fidus in Aiacem animus atque amor. Ob egregias eius virtutes admiratur et singulari obsequio colit Aiacem. Magno dolore, quum ignominiosa illa gregum cæde famam suam Aiax inquinasset, et sollicitudine capta agitatur pro eius salute, quod

„δῆλός ἐστιν ὥς τι δρασείων κακόν" (326).

Postquam vero Aiacis consilium, ut se interficere vellet, cognovit, anxia ob futurum tempus, sua atque Eurysacis filii sorte vehementer commota, Aiacem, ut consilium mutaret, omni modo adducere conata est, et, quodcunque in promptu habet argumentum, affert ad hoc peragendum. Post Aiacis mortem summa mœstitia correpta omnium misericordiam in se convertit et optime utitur poëta, ut Aiacis pertinacem constantiam ostendat spectatorumque misericordiam excitet.

CHORUS.

Chorus, qui ex Salaminiis, quibus Aiax præerat, constabat, ducis fortuna adversa, quam audierat, valde commotus nihil magis desiderat, quam ut a Græcis divulgatus rumor, quo Aiax gregum cædis incusatur, falsus sit. In ducis enim salute propriam conspicit et una cum Aiacis honore suam quoque famam inquinatam esse putat. Ideo magnopere lamentatur facinore patefacto, magnam dat operam, ut Aiacem a consilio capto avertat, valde gavisus est, quum deceptus ducis verbis Aiacem consilium mutasse opinetur, luget denique herois misero interitu.

AGAMEMNON et MENELAUS.

Homeri Agamemnon prudens, cautus atque fortis est, idemque, quod omnium sit dux, superbus, qui etiam vim atque iniuriam aliis facere sibi licere putat. Quodcunque agit, summi imperatoris auctoritatem indicat. Summa potestate apud Sophoclem ita conatus est uti, ut ira in Aiacem exacerbatus huius sepulturam prohibere velit. Cuius regnandi cupidum atque atrocem animum ostendit colloquium, quod cum Teucro

habuit et iis, quæ cum Ulixe agit, summum ducem superbia inflatum et ob iram omnia humana divinaque iura despicientem videmus, qui ab amico pæne cogi debet, ut turpi suo consilio absistat.

Eandem fere indolem habet Menelaus, Agamemnonis frater. Una tantum re alius esse videtur atque Agamemnon. Quum enim hic, quamquam iræ ipsius non erat satisfactum, cum imperatoris tamen gravitate de scena decedat, Menelaus, qui fervens ira Aiacis, arrogans, superbus atque imperiosus a Sophocle in scenam productus est, impulsus atque inclusus a Teucro partes prorsus ridiculas agit et Spartæ rex iis omnino vitiis laborat, quibus Sophoclis ætate Athenienses Spartam aspergere studebant. Quum antea ab Aiace virtutibus atque auctoritate superatus esset, iam occasionem se invenisse putat, qua data, quum vivum ulcisci non posset, de mortuo certe pœnam sumeret.

MINERVA.

Inter omnia, quæ apud Homerum commemorantur, numina Minerva summa prudentia ornata apparet; ubique tuetur Græcos imprimisque Ulixem, quem ad Aiacis tentorium, ut cædis auctorem investigaret, aggressum, his allocuta est verbis v. 36:

„ἔγνων, Ὀδυσσεῦ, καὶ πάλαι φύλαξ ἔβην
τῇ σῇ πρόθυμος εἰς ὁδὸν κυναγίᾳ.“

Fastu Aiacis valde offensa et amore Græcorum, quorum omnium moliebatur cædem, ducta, heroëm vesania affecit, itaque omnis mali, quod largum in eum manabat, facta est auctor. Quod v. 79 Ulixem interrogat:

„οὐκ οὖν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν,“

ideo fortasse, valde humilem sensum Minervam hic induisse, suspicari possis, sed mihi quidem hæc verba non ex animo a dea dicta esse videntur, quæ iis nihil aliud nisi tentare voluit Ulixem, qui respondens v. 80:

„ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον ἐν δόμοις μένειν.“

singulare mitis sui animi documentum edidit. Præterea, si statuamus, re vera hoc loco Minervam summo gaudio de infelicis Aiacis miserrima conditione affectam esse, hoc deæ gau-

dium non convenit placabili illi animo, quem paulo post in Aiacem ostendit. Nam Calchas v. 756 dicit:

„ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις.“

Quoniam igitur indolem personarum satis explicasse videmur, argumentum et finem fabulæ paucis exponemus. Quamvis argumentum fabulæ primum locum tenere debuerit, id nunc demum afferam, quum indoles personarum magni fuerit momenti.

Aiax Telamonius, vir magna fortitudine et robore corporis, sed idem magno spiritu, quum in illo certamine de Achillis armis instituto Ulixi competitori Argivovum iudicio cessisset, indignabundus succensebat Argivorum ducibus. Quare ut odio suo satisfaceret, Græcorum duces omnes, imprimisque Ulixem Atridasque, qui merito præmio se fraudassent, noctu ferro oppressurus erat, quum vesania correptus est a Minerva, quam fastu suo offenderat, immissa. Turbata autem mente in communes Græcorum greges avertitur, unde, maxima strage edita complures pecudes homines esse ratus, domum secum deductas excruciat, animo valde gavisus ob pœnam de inimicis sumptam. Sanitas mentis postquam prope diem paullatim rediit, Aiax a Tecmessa uxore, quæ per noctem perpetraverat, edoctus magnam ignominiam, si res innotuisset, ut evitaret, conscientia ignominiosi facinoris stimulatus vim sibi afferre constituit. Græci, qui Aiacem huius facti auctorem suspicantur, ab Ulixe, qui duce Minerva rem exploraverat, certiores facti sunt de tota re. Aiax autem, quem nec chori nec Tecmessæ preces a proposito suo retinere potuerant, gladio mortem sibi conscivit. Agamemnon quidem et Menelaus maximopere Aiaci irati honestum eius funus impedire conantur, sed a Teucro, Aiacis fratre, verbis atrociter compellati Ulixi, qui liti eorum intervenit, cedunt funusque permittunt et Aiax a Teucro rite sepelitur.

Ut finem faciamus commentationis, haud alienum sit, de fine, quem in hac fabula secutus sit poëta, paucis dicere. Equidem putaverim, totius fabulæ ideam primariam, quæ vocatur, satis clare versibus 127—133 indicatam esse; hoc enim loco Minerva Uixi dicit:

„τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ' ὄγκον ἄρῃ μηδέν', εἴ τινος πλέον
ἢ χειρὶ βρίθεις ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια· τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς."

Idem comprobat Calchas:

v. 758 sq.:

„τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόδητα λήματα
πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις
ἔφασχ' ὁ μάντις, ὅστις ἀνθρώπου φύσιν
βλαστὼν ἔπειτα μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονῇ."

Sophocles igitur Aiacis exemplo demonstrare voluisse videtur, superbiam diis esse invisam et ea quidem ipsa de causa, quam dicit Ulixes:

v. 125, 126:

„ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν."

Id quoque non prætermittam, quod poëta dicit v. 157 sq.:

„πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει.
καίτοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς
σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται.
μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν
καὶ μέγας ὀρθοῖ θ' ὑπὸ μικροτέρων.
ἀλλ' οὐ δυνατὸν τοὺς ἀνοήτους
τούτων γνώμας προδιδάσκειν."

His enim verbis poëta optimatum imperium commendare videtur. Docet enim homines inferioribus animis præditos infirmum esse præsidium, sed cum magnanimis hominibus coniunctos et ipsos maiorem habere auctoritatem. Sed illa verba spectant ad hæc et in his posita sunt:

„superbiam diis esse invisam,"

quum magnanimi homines plerumque non superbi itáque sint diis grati atque firmum rei publicæ præsidium.

Quum vero superbia diis sit invisa, is vir, qui hominem nihil nisi umbram esse agnoscit et adeo temperantia insignis est, ut abiecto omni odio etiam inimicum ab iniuria defendat, diis gratus sit necesse est, ut Ulixes, egregium illud temperantiæ exemplum, egregio Minervæ favore haud indignus reperiatur.
